

perpetuus, sive amovibilis ab Episcopo examinari et probari, ac proinde integrum et Episcopo praesentatum sibi Vicarium non probare, si parochiali muneri impar sit, aut congrua eidem portio non assignetur.

Vicarii autem perpetui officio suo privari non possunt, nisi legitima causa et probata, et consulto Episcopo cap. 31 DE PRAEBEN. Sed Vicari temporarii, seu ad nutum amovibiles sine causa removeri possunt, dummodo dolus et omnis odii causa abfuerit; quin imo tum ab Episcopo, tum a Superiore Regulari, non requisito alterius consensu animarum privari possunt, nec unus alteri tenetur causas iudicii sui aperire; quod a Congregatione Concilii decretum est, et confirmatum a Benedicto XIV in sua Bulla FIRMANDIS edit. ann. 1744.

CAPUT IV.

DE MONACHIS ET REGULARIBUS.

§ 29.

DE ORIGINE MONACHORUM ET REGULARIUM.

Personis ecclesiasticis accensentur Monachi et Regulares, de quibus postremo loco dicendum est. Jam inde ab Ecclesiae primordiis fuere, qui vitam ad Evangelica consilia accuratius exigent, ab ipsa severioris vitae exercitatione *Ascetae* dicti. Hujus vitae institutum tum viri, tum foeminae, et praecipue virgines profitebantur, quae perpetuam castitatem promittentes, ab Episcopo consecrabantur, sacramque velamen accipiebant. At in propriis domibus versabantur; si tamen minus caste viverent, aut nuptias inirent, excommunicabantur, quod ex can. 15 Concilii Chalcedonensis compertum est. Inducta vero inter mares monastica vita, paulatim factum est,

ut virgines quoque a frequentia hominum separatae, et intra coenobia perpetuam castitatem, et communem vivendi regulam profiterentur.

Quae autem fuerit monasticae vitae origo, non una est omnium sententia. Monachi primum dicti sunt, qui ut curas profanas, aut persecutiones effugerent, vel etiam ut liberius pietati et divinarum rerum contemplationi operam darent, in loca deserta et solitudines sese receperunt, inter quos primi ac nobilissimi fuerunt Paulus et Antonius Aegyptii Eremitae. Paulus quidem ejus vitae auctor, illustrator autem Antonius, qui sectatores plurimos habuit, eosque certis vivendi regulis ac legibus addixit. Videntur itaque non procul a veritate abesse, qui monasticae vitae institutum Paulo et Antonio acceptum referunt. At vero monasticum institutum aedificatis monasteriis, et inducta communi vita Pacomius et Basilius in Oriente perfecerunt, in Occidente autem S. Athanasius primus induxit, et dein S. Benedictus absolvit, et longe lateque diffudit. Benedictus enim aut primus, aut certe inter primos et communem regulam tradidit, et solemnis professionis formulam praescripsit, ut Monachi ad perpetuam ejusdem regulae observantiam adstringerentur, cum antea « tot propemodum typi ac regulae essent, quot cellae ac monasteria » ut ait Cassianus lib. 2 Instit. cap. 2.

Monasticum Institutum ad Benedictinae regulae normam stetit ad saeculum usque nonum, quo tempore cum aliquid remittere de pristina disciplina visum esset, ad illam instaurandam ortae sunt Congregationes Cluniacensis, Camaldulensis, Vallis Umbrosae, Cisterciensis, aliaeque, unde monasticum institutum, quod antea ferme unum erat, in plures Ordines divisum est, et nova itidem monastica Instituta inducta sunt.

Canonici Regulares, uti supra diximus, ineunte saeculo nono clericalem statum cum vita monastica conjunxerunt, et regulam a S. Augustino exaratam passim amplexati sunt,

ideoque Canonorum Regularium S. Augustini nomen acceperunt. Ex his ortum habuit Canoniarum Regularium Congregatio, quae in Basilica Lateranensi recepta Lateranensis appellata est. Celebres etiam fuerunt Congregationes Canoniorum Praemonstratensium et SS. Salvatoris: Canonici autem Regulares a Monachis discrepant, quia «etsi a Sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti, regulae tamen inserviunt laxiori» ut legitur cap. 5 DE STATU MONACH.

Perfectionem vitae Monasticae et Clericalis simul aemulati sunt Ordines Mendicantes, inter quos praecipui et celeberrimi Fratres Minores S. Francisci, Praedicatorum, Carmelitae, Eremitae S. Augustini ex quibus veluti stipitibus processerunt caeteri Ordines Regulares, quorum originem atque indicem exhibet Doujat in Append. Praenot. Canonic. cap. ultimo. His denique accesserunt Congregationes Clericorum, qui nuncupatis votis, certisque legibus addicti communem vitam agunt, ex quo factum est, ut Clerici Regulares vocarentur. Horum prima Congregatio est Theatinorum; deinceps Barnabitarum, Societatis Jesu, Somaschi, Scholarum Piarum, et alii plures prodierunt.

Interim Concilium Tridentinum sess. 25 cap. 3 de Reform. «concessit omnibus Monasteriis, et domibus tam virorum, tam mulierum et mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Cappucinatorum, et eorum qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.» Hinc Fratres Minores de Observantia, et Cappucini Mendicantes ex regula, caeteri Mendicantes ex Constitutionibus dicuntur.

Illud denique monendum est, quod cum coeptum esset varias vivendi regulas, novosque Ordines excogitare, Concil. Lateranense sub Innoc. III, «ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem induceret, prohibuit

ne quis de caetero novam Religionem inveniat, sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat» cap. 9 DE RELIG. DOMIBUS. Quod quidem decretum a Concilio Lugdunensi sub Gregorio X renovatum est, atque adeo ad novam religionem instituendam Summi Pontificis approbatione opus omnino est.

§ 30.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

Religio, seu Status Religiosus communiter definitur «Fidelium ad christianae charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuae obedientiae, paupertatis et castitatis, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia adprobatus.» Ex quo facile colliges: 1. Finem status religiosi in Christiana perfectione positum; tria autem vota tanquam modum et media esse, quibus ad perfectionem facilius et tutius pervenitur. Quibus quidem votis peculiare Ordines alia superaddere possunt: sic Trinitarii captivorum redemptionem etiam vovent. 2. Ad statum religiosum aliqua regula atque regimine opus esse, quod stabilis in communi vivendi modus ita comparatus est, ut sine certa regula et regimine non subsistat. 3. Vim et essentiam status religiosi in obligatione perpetuo servandi eadem vota ac regulam sitam esse, atque adeo promissionem eamque personalem atque perpetuam requiri. At satis esse videtur simplicia vota emittere, dum simplex quoque votum est perpetuum et constans vinculum quo religioni obligamur. Huc facit Constitutio Greg. XIII ASCENDENTE DOMINO, quia Scholastici Societatis Jesu veris et propriis Religiosis accensentur, etsi tria tantum vota simplicia nuncuparint. 4. Tandem regulam ab Ecclesia adprobata, et debita auctoritate munitam esse oportere, ut ea Communitas, ubi vovetur, in statum religiosum erecta sit, eique collata spiritualis potes-

tas, qua status religiosus continetur, ex. gr. condendi statuta, eligendi Praelatos, ad professionem recipiendi, et alia id genus.

§ 31.

DE PROFESSIONE EJUSQUE EFFECTIBUS.

Itaque religiosa professio est certae et probatae Religionis promissio rite ac libere facta, legitimeque acceptata: rite facta dicitur, si profitens in eo statu sit quo libere vovere possit, ac integrum et continuum probationis annum exegerit. Vovere autem prohibentur, qui decimum sextum aetatis annum non expleverint. Servis etiam ex antiquis regulis sine dominorum consensu, et Episcopis sine Pontificis venia ad professionem aditus non patet. Item conjugati post carnis commixtionem professionem edere nequeunt, nisi uterque libere consentiat, et in claustra sese recipiat, aut nisi saltem qui in saeculo remanet aetatis provectae sit, et ab omni incontinentiae suspicionem absit, et praeterea coram testibus, et Ecclesiastico Superiore votum castitatis emittat. Quod si nullus adhuc matrimonii usus fuerit, tum certe alteri altero etiam invito ad monasticam vitam transire licet, quia conjuges post initas nuptias habent duorum mensium inducias, ut interim possint de amplectenda Religione deliberare. Necesse deinde est, ut professio libere edatur, propria nimirum et omnino libera voluntate ejus qui profitetur. Itaque non voluntas parentum liberos obstringere potest, et prorsus abesse debent quae libertati et voluntati propriae contraria sunt, veluti error et ignorantia, multoque magis metus et coactio. Denique professio a legitimo Superiore acceptanda est: fit enim contractus instar, quo nempe profitens ad servandum vota et regulas obstringitur Deo et Religioni: religio autem obligationem contrahit ipsius alendi, retinendi, augendique illis bonis atque juribus quae peculiares Ordinum constitutiones communia esse voluerunt.

Professio autem duplex est, expressa nempe et tacita, quatenus aut verbis ore prolatis, vel scripto exaratis, aut factis ipsis enuntiatur. Jure Decretalium et praesertim cap. 4 et 22 de Regul.; et cap. 4 et 6 eodem in 6; et Clementina 2^a eo, qui exacto probationis anno habitum monasticum non dimittit, sed manens intra claustra actibus Professorum propriis sese immiscet, tacite professus habetur. Sed moribus jam receptis professiones expressis verbis et adhibitis singulorum Ordinum solemnitatibus et ritibus emittuntur, scriptisque consignantur.

Validae professionis effectus sunt: 1. Quod irregularitatem ex natalibus intuitu sacrorum Ordinum, non dignitatum ecclesiasticarum abstergat. 2. Matrimonium nondum consummatum dissolvat, contrahendum vero dirimat. 3. Obligationem pariat in suscepta vita monastica permanendi, nisi forte causa perfectionis ad rigidiorum ordinem transire cupiat, petita, licet non impetrata, Superioris sui venia, « Ubi enim spiritus Dei est, inquit Innocentius III, cap. 18 de Regul., ibi libertas, et qui Dei spiritu aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita justo. » Si tamen dubitatio occurrat, subdit Pontifex, « utrum quis velit ad Ordinem laxiorem aut arctiorem ex caritate, an temeritate transire, Superioris judicium est requirendum, ne forte Angelus Sathanae in lucis Angelum se transformet. » Sed ab Ordine rigidiore ad laxiorem transitus vetitus est sine venia Summi Pontificis et justa causa, veluti si quis ob aegritudinem aut corporis infirmitatem rigidiore regulae servandae impar effectus sit. 4. Omnia vota in saeculo nuncupata prorsus perimat, quod in ipsa professione eminenter contenta seu commutata censentur. 5. Eluat maculas seu inhabilitatem ad civiles effectus ex antea vitae delictis ortam « est enim conversatio monachalis sic honesta, ut ait Justinianus in Novel. 5^a, ut omnem maculam detergat. » Quin etiam peccatorum omnium maculas delet quod ad poenam, non autem ad culpam attinet, ita ut professio

religiosa veluti secundum baptismum habeatur, eamque Trullana Synodus Can. 40 benedictionem gratiae appellavit. 6. Tollat notam ingratitude, ut exinde filii parentibus exhaereditari nequeant, quod ex Novel. 122 refert Gratianus Can. finali causa 19, quaest. 3^a. 7. Patriam potestatem solvat, quia professus in religiosam familiam transit, et potestati Superioris subicitur. 8. Beneficia, si qua professus obtinebat, statim vacent, fitque incapax aliis beneficiis obtinendis, regularibus beneficiis exceptis, quae non nisi regularibus personis conferuntur. 9. Denique omnia bona professi tum praesentia, tum futura ad Monasterium transferantur si capax sit, sin minus ad haereditas ab intestato venientes deferuntur, perinde atque professus mortem naturalem obiisset. Verumtamen Novitiis, antequam profiteantur, integrum est sua bona distribuere. Ne tamen fortunis suis imprudenter spolientur, atque adeo inopes facti vel inviti cogantur professionem emittere, Tridentina Synodus sess. 25 cap. 16 de Regular. et Monial. ita statuit: « Nulla renuntiatio aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujusque causae piae, valeat, nisi cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac nec alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita et nullius effectus. »

§ 32.

DE EXEMPTIONIBUS REGULARIUM.

Regulares nonnullis privilegiis cumulati sunt, inter quae illud est praecipuum quod ab ordinaria Episcopi jurisdictione eximantur. Exemptionem tamen hujusmodi Concilia, et praecipue Tridentinum, et Summi Pontifices in multis temperant, quorum abs re non erit saltem potiora capita enume-

rare. In primis itaque quod ad vitam et mores Regularium pertinet, Regulares cujuslibet Ordinis et Instituti qui extra claustra etiam cum Superiorum venia vel obedientia versantur, si deliquerint, ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicae delegato corrigi possunt et puniri. Regulares autem in claustris degentes, si notorie delinquant ut populo scandalo sint, a suis Superioribus, instante Episcopo et infra tempus ab eodem Episcopo constituendum, revera puniendi sunt, et Episcopus de poena irrogata monendus; sin minus Superiores a Praelatis majoribus officio privandi sunt, et ipsi Episcopo in delinquentem Regularem animadvertendi potestas erit. Cum autem Superiores interdum delinquentem Monachum extra Dioecesim impunitum dimitterent, Clemens VIII in sua Constitutio. SUSCEPTI omnibus Ordinum Praepositis sub poena privationis officii mandavit, ut infra praestitutum ab Episcopo tempus reum, ubicumque esset, castigarent.

Quod autem ad actus hierarchicos pertinet, Regulares confessiones fidelium nec in Ecclesiis alienis, aut suis sine auctoritate et approbatione Episcopi audire non possunt, neque absolvere a casibus Episcopo reservatis, quamvis potestatem habeant absolvendi a casibus et censuris Pontifici reservatis; neque Monialium confessiones excipere, quamvis sint e Monasterio Regularibus subjecto, neque adprobatus pro uno Monasterio potest eadem facultate in alio uti. De praedicatione vero jam dictum est superiori § 5.

Monasteria etiam, quibus animarum cura adnexa est, in iis quae ad eam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni et correctioni Episcopi subjiciuntur; qua super re videnda est Constitutio Benedicti XIV, quae incipit FIRMANDIS ed. ann. 1744, ubi diligentius explanat quid possit Episcopus in Parochialibus Regularium, quid facere nequeat. Praeterea Regulares ab Episcopo pendent in Ordinibus recipiendis, quod multis explicat idem Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. 9. cap. 17. Censuras et inter-

dicta ab Episcopo promulgata, tum dies festos in Ecclesiis suorum Ordinum servare debent, atque etiam ad publicas processiones accedere, iis tantum Monachis exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in suis Ecclesiis custodire possunt: eis tamen non licet publice fidelium venerationi exponere, nisi ex causa publica et ab Episcopo adprobata: possunt tamen privata de causa, dummodo e tabernaculo non extrahatur, et ita velo sit tectum ut ipsa Sacra Hostia videri non possit. Praeterea Sacra Eucharistiam die Paschatis administrare nequeunt, ne iis quidem qui illam jam a proprio Parocho acceperint, nisi fuerint de eorumdem Regularium familia. Itemque SS^{ma} Viatici et Extremae Unctionis Sacramenta iis tantum administrare possunt qui sint de Coenobii familia: neque novas reliquias, aut insolitas Imagines exponere sine approbatione Episcopi, neque nova miracula novasque indulgentias promulgare audeant sine ipsius Episcopi recognitione et approbatione. Concil. Trid. sess. 25 de Invocat. Sanctorum.

In reliquis autem quae ad disciplinam domesticam, observantiam regularum et votorum, modum vivendi, officia, promotiones, coercitiones Religiosorum pertinent, nequit Episcopus sese immiscere.

CAPUT V.

DE ELECTIONIBUS.

§ 33.

DE ELECTIONIBUS EPISCOPORUM.

Hactenus de singulis Clericorum gradibus, eorumque juribus et officiis disseruimus. Postulat nunc instituti nostri

ratio, ut videamus quemadmodum ad eos Ecclesiae gradus et dignitates perveniatur. Jam vero primi gradus in hierarchia jurisdictionis, videlicet Summus Pontificatus, Episcopatus et Praelaturae Regulares et Saeculares per electionem obtinentur; inferiores hierarchiae gradus per collationem Beneficiorum tribuuntur; potestas vero ordinis per consecrationem, aut sacram Ordinationem confertur. Primum itaque de Electionibus, tum de Sacris Ordinationibus enucleate videamus, nam de Beneficiorum collationibus proximo libro dicendum est. Verumtamen cum de novo et veteri eligendi Pontificis disciplina dictum sit in Jure publico Ecclesiastico, reliquum est ut hoc loco de electione Episcoporum et Praelatorum Regularium agamus.

Jam usque a primis Ecclesiae saeculis Episcoporum electiones a Provinciae Episcopis, Clero, et Christiana Plebe suffragantibus celebrabantur. Sed Populus Christianus in Ministrorum electione suffragatus est indulgentia Ecclesiae, cum hujusmodi electiones jure divino ad plebem non pertineant, quod duabus distinctis propositionibus late probat Nat. Alexander in Histor. Eccles. saec. I dissertat. 8. Spectabat haec disciplina, tum ut indigni quorum vitia plebem latere haud possunt, ab Episcopatu arcerentur, et optimi quique ac vulgo probati eligerentur. Huc pertinet illud Cypriani ep. 68: « Episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitia plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit; » tum etiam ut populus suum de persona eligenda desiderium et votum exprimeret, seu ne invito populo daretur Episcopus. « Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebe expetiti, » ut ait S. Leo Magnus, ep. ad Rusticum cap. 4.

Jam vero ubi Cleri et Populi testimonium ac votum de persona eligenda inter se convenissent, praecipua et summa in eo negotio auctoritas penes Episcopos erat, ad quos tanquam legitimos judices et electores electio proprie spectabat.